


Qr. 517. 39 (X2000624)

II c  
1860



TYPVS DE  
POSITIONIS SCHO-  
LASTICÆ, HEROI-  
co carmine descri-  
ptus.

AVTORE

FRIDERICO VVI  
DEBRANDO.




VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT PE-  
trus Seitz.

M. D. LIX.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)





# TYPVS DEPOSITIONIS SCHOLASTICÆ.

**N**E grauis offensus nugis scurrilibus hospes  
Quærat, in hac cœna quid futilis histrio quæram  
Monstrorosi pecoris Ductor monstrorior ipse:  
Pauca locuturo placidas aduertite mentes.  
Non miser è flamma parasitus fercula capto,  
Aut stolidus tantum magnorum docta uirorum  
Insulsis salibus conuiuia condio Mimis:  
Functus at officij mandato munere, uultu  
Ludrica dum simulo spectacula, seria tracto,  
Rectius ac multi, qui ritu temporis huius  
Optima proponunt foris, intus pessima condunt,  
Mel quibus à labris, fel ab alto pectore manat,  
Aut qui decipiunt pompis, minus inq; recessu,  
Quàm prima dederant promissum fronte, tegentes,  
Ferre uix præstant, dum sæpius aurea spondent,  
Tecta sub hac etiam latitat sapientia ueste.

Scilicet hæ laruæ cornutaq; monstra feroces  
Designant animos effrenaq; colla iuuentæ.  
Qua tamen ad frugem possint ratione reduci,  
Vt domiti sapiant & munera debita præstent.

Insipiens Iuuenis ludo ferulaq; relicta,  
Pulpita cum tiro contendit ad alta scholarum,  
Multa malis secum contagia moribus affert,  
Cæcus, ineptus, iners, stolidus, temerarius, audax,  
Et tamen impatiens & recta monentibus asper,  
Contemptor legum, sciolus quem plurimus urget  
Fastus, & inflati persuasio turgida uentris.

Iamq; leuans cristas & comto uertice cirros

A 2

Altius

Altius ingreditur, transuersaq; crura reponens  
Se putat à cunctis spectari & dici, hic est,  
Securus precij, quo constet emenda farina,  
Rara auis in templo, raro auditoria cernens,  
Crebrius interea uini consueta tabernas  
Visere cum socijs sitiens, cui pocula semper  
Et citharæ cordi, choreæ, mollesq; corollæ,  
Aleaq; & rubri chartacea symbola Regis:  
Hæc uita est iuuenis, quem mens secura futuri  
Atq; æumnarum mortalis nescia uitæ,  
At rapidis contrà flammis im pulsa uoluntas  
Raptat in exitium, nisi mox exercita curis  
Prima iuuentutis feruorem diluat ætas,  
Stulticiamq; frequens doctrinæ corrigat usus.

Ergo rudimentis opus est, quædamq; reatus  
Signa fero iuueni primis adhibenda sub annis,  
Ut qui ceu Phaethon conceperat æthera mente,  
Iamq; ferebatur pronis effusus habenis  
Arduus, elatus, semper sublimia spirans,  
DEPOSITVS longeq; gradu inferiore locatus  
Serpere discat humi, caudamq; remittere supplex,  
Ne uolet ante diem nondum crescentibus alis,  
Verbis uerberibus mentem mutare coactus.

Hic armis opus est, uarijs opus instrumentis,  
Huc directæ mihi tota est, quam tracto, supellex,  
Horrida, materiæ similis, cui forma paratur,  
Serra, dolabra, bidens, dens, claua, nouacula, pecten,  
Cum terebra tornus, cum lima malleus, incus,  
Rastraq; cum rostris, cum furca & forcipe forpex,  
His ego distortum nodoso robore truncum  
Tondeo, tundo, seco, rado, lauo, leuigo, limo,  
Scalpo, sculpo, scabo, fodio, tero, torno, terebro,

Diuido,

Diuido, compono, frico, dedolo, cudo, recudo,  
Si qua, iuuante Deo, tam crasso è stipite possim  
Fingere Mercurium, & quod curuum est, ponere rectum.

Durior ista quidem teneris rasura uidetur  
Filiolis matrum, quàm quæ subtilibus istis  
Conueniant meritò dominastris debita: uerùm  
Hoc tyrocinium est, hæc sunt præludia tantùm  
Alterius longè grauioris nempè palestra,  
In qua uenturis omnes DEPONIMVR annis,  
Cum quæ ferre dolet, cogeris plurima ferre.  
Tùm uerò quòd nunc pateris, ludumq; iocumq;  
Dixeris esse, præut quæ promet adultior ætas.  
Hæc leuis & breuis est, & uix dolor unius horæ,  
Illa, quo ad uiuis, semper correctio durat,  
Mille molesta malis, plagis obnoxia uitæ  
Perpetuis, hominumq; gradus extensa per omnes  
Sic tibi Præceptor, si perges improbus esse,  
DEPONET cristas, iuncturus uerbera uerbis,  
Praua resecturus morum contagia, donec  
Exueris agrestem animum, studioq; frequenti,  
Quas tibi proponet, perdiscas sedulus artes.  
Traditus hinc templis, legali uoce ministri  
Executienda reus dabis abdita uiscera cordis,  
Occultas animæ iussus DEPONERE sordes,  
Ut mala cognoscas & cognita tollere discas.  
Hæc, nisi parueris, DEPONET cornua carcer,  
Licitorumq; manus, seu disciplina Magistri  
Ultima Carnificis, qui quos DEPONIT, eosdem  
Scandere quò nolint, non rarò tollit in altum.

Quòd si quando tibi ueniet sapientior ætas,  
Iamq; alijs iterum præesse iubeberis ipse,  
Seu plebi pastor, seu Consul ciuibus olim,

Seu Dominus seruis , uxori siue maritus:

Tum uerò centum uenient tibi DEPOSITORES  
Qui quæ protuleris , quæ dixeris, omnia carpent,  
Qui tibi multiplici curas ratione faceffent,  
Atq; onus officij nunc ui nunc fraude grauabunt.  
Nobilis inde tibi , tibi rusticus, inde molestus  
Ciuis erit, uicinas erit, proprij q; propinqui.  
Nec tibi discipuli parcent, qualisq; fuisti  
Ipse alijs, tales olim præceptor habebis.  
Sin eris Oeconomus, tibi turba domestica serui.  
Mille struet fabricas ancilla secuta ministrum,  
Et famuli famulorum , & tu famulaberis illis.  
Sæuior his autem , nisi caueris, omnibus uxor  
DEPOSITVM subiget, cum sceptrâ domestica sumet  
Imperiosa , dicax, mordax, morosa, rebellis,  
Quæ lotura caput lixiuia tinget aceto,  
Et tersura pilos crepidas pro pectine stringet.  
Quisq; suos patimur næuos, non Doctor in aula  
DEPOSITORE caret, non rex, non Papa, subinde  
Cum Deus ex alta DEPONAT sede potentes:  
His ita defunctos tandem in commune sepulchrum  
DEPONIT Vespillo, hæc ultima DEPOSITVRA est.

Hæc & plura puer ritu præfente moneris  
Ut uentura statim mentem ad certamina firmans  
Quæ restant placidè tolerare pericula discas.  
Tu modò DEPOSITVS, rerum, quas trado, fidelis  
DEPOSITOR , fidus quoq; DEPOSITAR IVS esto;  
Quæ præuisa notas , minus olim tela nocebunt.  
Verbaq; DEPOSITVS generis fuge DEPONENTIS,  
Siue ea nunc malis communia dicere, totum  
Quòd fœcunda genus spargant commune per orbem,  
Osculor , Amplector, reuerenter palpor, euntes  
Præstolor,

Præstolor, opperior, comitor, comitatus aperta  
Fronte uerecundor, quoq; blandior, alloquor extra,  
Gratulor, astipulor, sed mentior, imprecor intus,  
AEmulor, indignor, benè dicta calumnior, artes  
Commentor, falsoq; interpretor atq; cauillor.  
Despicor, aspernor seniores, conuador illos,  
Irascor, stomachor, raptos ulciscor honores.  
Criminor, insector, conuicior, inuehor absens,  
Quod doluit reminiscor, quod iuuat obliuiscor.  
Suffragor Dominis, illis assentor, adulator.

Non patriam miseror, non quicquam largior ægræ.  
Non medicor, non auxilior, patrocinator autem  
Grator, gratificor reprobis, assentior illis,  
His ego conuersor, diuersor & hospitor, illos  
Intueor, tueor, nutricor, muneror illos  
Scilicet hos imitor, solos admiror, eorum  
Me pede me modulo quoq; metior, utq; uicissim  
Gloriola uescor, laudes impertior illis,  
Indignos dignor, dignos dedignor honore.

Sic quoniam uenor popularemq; aucupor auram,  
Hinc illinc palor, uagor huc proficiscor illic,  
Rusticor, aurigor, peregrinor, uillicor, & illuc,  
Pabulor, obsonor, frumentor, lignor, aquorq;  
Quando professus ibi præmetior, auguror alta  
Fator, uaticinor, præfatus fata prophetor,  
Quin & rhetoricor, ratiocinator, argumentor,  
Et secreta profatus auruspicator atq; poëtor.  
Omnia percontor, secreta expiscor, odoror,  
Sciscitor & rimor, nasum nidore supinor.  
Si quid comperior, citò controuersor, & omnes  
Præuertor, iurgor, laudumq; libidinor æstu.  
Sic reor esse aliquid, sed imaginor illud, opinor,

A 4

Arbis

Arbitror & nugor, fumos modò ructor inanes.  
Nam quia cuncta sequor, nihil assequor, ordior alta,  
Machinor, insidior, mala molior, impia conor,  
Mirificas fabricas fabricor, sed quando deorsum  
Et sursum praxes hinc partior inde, repulsam  
Cum risu patior, tristemq; enitor abortum.  
Non cœli numen uereor, non ferior illi,  
Legibus aduersor, præuaricor, omnia iura  
Transgredior, non morigeror, non obsequor ulli,  
Nitor at in uetitum, refragor, ubiq; reluctor,  
Plurima polliceor, stipulor, uerbisq; paciscor,  
Sed modò ludificor, nihil exequor, omnia frustror.  
Virtutem detestor, abominor, execror omnem.

Crapulor atq; epulor, pergræcor, luxuriorq;  
Suspikor, altercor, rixor, post iurgia lymphor,  
Per fora uociferor, per tecta tumultuor, omnes  
Cum fornace fores demolior atq; fenestras,  
Bellor, digladior, grassor, debacchor in omnes,  
Prælior & uelitor, cunctis interminor arma.  
Cum porcis stabulor, sed cum manè expergiscor,  
Prandiculor, ientor, satur oscitor, ergo uicissim  
Expator, iaculor, rursusq; meridior, inde  
Fabulor & ioculor, modulor, iocor atq; cachinnor,  
Cum fatuis fatuor, fateor totusq; fatiscor.  
In studijs ita regredior, quia namq; tabernas  
Demoror, in genium remoror, mox uictor ocellis,  
Nitor & annitor, non somno ritè renitor,  
Tristis & auersor cum Prisci contuor anum.

Conuiuor, lurcor magis, belluor atq; popinor,  
Quodq; referre pudet ( sed deprecor auribus illud,  
O scelus ô mores ) lenocinor & meretricor,  
Suauior, ancillor, quin mœchor, adulteror, imò

Cum



Cum lupor & scortor, quasi re bene gloriator acta,  
Sic quia non operor, uerum ocior atq; superbus  
Ante diem dominor, nec iusso munere fungor,  
Ingratusq; Dei donis fruor, utor, abutor:  
In senio famulor, tum panem ruminor atrum,  
Tunc luxum moderor. Ieiuno sed quia uentre  
Liquor & emacror, tenues depascor & artus:  
Ergo nouas scrutor, meditor, uasfer auspicor artes,  
Causor, causificor, cauponor, nauiculorq;  
Velificor, piscor, mox naufragor, Aucupor ergo,  
Quid uenore coruos. Sed quomodo? nundinor. Ecce  
Conspicor expositas merces, delector iisdem,  
Aggredior, speculor, cunctor, sermonicor atq;  
Gesticulor, liceor, nil mercor, nidulor autem,  
Mutuor, alterius sic merce negocior, atqui  
Iusticiam nullam ueneror, sed scenoror, & cum  
Non satis inde lucror, praedor, spoliator, populorq;  
Furor, depeculor, potior letorq; potitus.  
Cuncta sed inficior, iuratus numina testor.  
Sic nanciscor opes, sic diuitias adipiscor.

Sed non radior, sed dignos artibus istis  
Sortior euentus, laqueatus quando reuertor,  
Carnificemq; sequor. Nam quando periclitor & iam  
Ominor exitium, uitaeq; remetior acta:  
Tum precor, obtestor, tum tristor, conqueror, imo  
Lacrymor, & queritor, frustra at consolor, adhortor.  
Nec reus eluctor, dubio dum pectore luctor.  
Quam male tunc radior? cum castra nouissima metor.  
Cum miser ad coruos gradior, schalisq; gradatim  
Exorior, morior, ringor, cornicor, apricor,  
Verminor, exequior, cum coruos nutrior. imo  
Vermiculor, pendensq; pilis atq; ungue renascor.

B

Nec

Nec tanten his uicijs medeor, sed debrior, illis  
Immoror, immorior, miserum me punior ultrò,  
Nec mala, quæ mereor, uereor præsentia donec  
Experior, truncor, cernensq; tenebricor. Ah cur  
Non mihi suppetior? Nunc mortis labor ad umbras,  
Et Stygijs urinor aquis, miserabile dictu.

Hæc tam terra bonos quia DEPONENTIA mores  
DEPONENT animamq; necant, DEPONE uicissim,  
Et quæ compositæ similis cognata Figure,  
Aut Specie nobis hinc usurpata Frequenti  
Eiusdem Generis, uerbis generantur ab istis,  
Non modo Grammaticis sed toti cognita mundo,  
Non isto numeranda loco, loco habebis eodem.  
Verba tuam Passiua decent Actiuaq; uitam,  
Ut facias facienda, pati patiendaq; discas,  
Ut mala sustineas, ritè abstinenceq; cupitis.  
Sis humilis gestu, semper meditare, quis es tu?  
Cautus in ingressu, gaudet doctrina recessu.  
A teneris assuesce pati, patientia magnum  
Est adolescenti decus, & non ultima uirtus.

Nunc faber aggredior magnum, memorabile & in  
Deucalionis opus, quod nec contenderit ipse (gens  
Fingere Lysippus, nec præstans Dædalus arte.  
E saxo formandus homo est, ex ore Beani  
E cerebro Bacchantis, agresti è caudice Pallas.  
Tu Patiens, ego sum medicus, quæcunq; propino  
Exorbere tuum est, ad plagas ludere risu,  
Calcandum pedibus, tergum submittere cunctis,  
Multa audire & pauca loqui, sufflare tumentes.  
Ad colaphos buccas, & magnas addere grates.  
Sic hodie est moris, sic mundus tractat amicos.

Dimetri:

*Dimetri Lambici in ritum*

*Depositionis.*

**S**alvete candidi hospites,  
Conuiuiumq; sospites,  
Quod apparatu diuite  
Hospes parauit, sumite.

Beauis iste sordidus  
Spectandus altis cornibus,  
Vt sit nouus scholasticus,  
Prouiderit de sumtibus.

Mos est cibum magnatibus  
Condire morionibus,  
Nos dum iocamur crassibus,  
Bonis studemus moribus.

Lignum fricamus horridum,  
Crassum dolamus rusticum,  
Curuum quod est, hoc flectimus,  
Altum quod est, deponimus.

Vt hunc nouum ceu militem  
Nostrum referre in ordinem  
Queamus, atq; stipitem  
Formare doctam Palladem.

Contrarijs contraria  
Curanda pharmacis mala,  
Ferox Assellus esurit,  
Lactuca labris conuenit.

Vbi malignus nodus est,  
Querendus asper clauus est,  
Vt haec dometur bestia,  
Addenda uerbis uerbera.

Vos interim dum ludicro  
Tempus datis spectaculo,  
Vultus seueros ponite,  
Frontem serenam sumite.


E I N I S.

0081/1860

ALBERT  
ARISTIDE EXIMIA  
DOCTORIA ERV  
in medicina  
Dr.  
CYNTHIA  
V. Doctors, ac L. in  
protectionis pu  
inductio  
The promotor &  
& ob-

ALBERT  
ARISTIDE  
DOCTORIA  
ERV  
in medicina  
Dr.  
CYNTHIA  
V. Doctors, ac L. in  
protectionis pu  
inductio  
The promotor &  
& ob-





Qk. 517. 39 (X2000624)

TYPVS DE-  
POSITIONIS SCHO-  
LASTICÆ, HEROL-  
co carmine descri-  
ptus.  
AVTORE  
FRIDERICOVVI  
DEBRANDO.  
VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT PE-  
trus Seitz.  
M. D. LIX.

II c  
1860

BIBLIOTHECA  
POWICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)